



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Ositha V. M. 7. Octob.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. OSITHA V. M.

7. Octob.

*Angeli eorum in caelis semper vident faciem patris. Matth. 18.*

**Q**uantum o parentes, educatio praestatur a teneris societis, interest? Ositha Regii sanguinis in Anglia puella in Parthenone non profano, sed sacro educta, quantum splendoris coronae Anglicae conciliavit. Et vero jam tunc prodidit coelum quam curae illi sit juvenus probe instituta, & majoribus suis morigera, Missa Ositha cum libro trans portem, & turbine ab hoc dejecta, undis hausta credebatur. Sed Angelorum praesidio, tertio die prodiit numquam mergenda innocentia. Sub hac in thori societatem a Rege Sigero invitatur. Sed dum rex venatur feras, virgo ut cupidinis retia effugeret, binos Episcopos advocat, & ab his velata in Christi nuptarum numerum transit. Indoluit Rex; sed quod Deo nollet rivalis esse potestatem fecit e suo thalamo, in Christi, hoc est coenobium, transeundi. In hoc ne regiae sponsae purpura deesset, ferro a Danis pro fide caeditur. Me-

mora-

moratur verò funus suis non alienis pedibus ambulasse, & caput abscissum ad usque templum extulisse, atque ibi demum, cum manibus templi januam pulsasset, placidè procubuisse. Fuit etiam qui morbo ad extrema deductus OSITHAM in vota vocavit, vovitque ne moreretur, in Religioso cœtu se victurum. Convaluit: sed sotheria solvere oblitus vindicem morbum secundum sensit, nec prius manum iterum OSITHÆ medicam, quàm objurgatus ab hac fidem liberaturum se ipopondit. Itaquè bis voti damnatus templo & cœnobio anathema se dedit. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

*De S. Ositha.*

1. **S.** Ositha undis hausta credebatur, sed Angeli Custodis præsidio prodiit tertio post die incolomis. O homo, quid Angelo tuo custodi non debes; & quam parùm persolvis? nondum natus eras, & jam stipavit te. Infantem in sinu fovit. Puerum manu duxit. Virum te quoties ab insidiis protexit, & a malo liberavit, nec in agone ultimo, nec in tremendo iudicio te deferturus, si tu non deferas. *Ergo noli custodis tui benevolentiam spernere, parvi pendere ministerium, Suffragium abjicere, & ignorare consilium.* Laurent. iust.

2. S. Ositha abscissum caput ad usque templum extulit. Quæ tibi integro & sano corpore templi adeundi cura? quantum curris pro modica præbenda, vel pro  
offi.

officio vel pro favore & gratia magnatum, & Deum  
 in throno gratiæ expectantem te quotidie tam raro  
 visitas? quia domus mea deserta est, & vos festinasti unum  
 quicquid in domum suam, propter hoc super vos prohibiti sunt  
 cæli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen.  
 Aggæi I. Cap. v. 10.

3. Convaluit, qui S. Ositham in vota vocavit, sed  
 voti exsolvendi oblitus vindicem morbum secundum  
 sensit. Vide ne promissum tuum irritum facias, neque  
 dei tua vota dirumpas. Habebis profecto accusatores prave-  
 ricationis tue. S. Laurent. Iustinianus.

## S. PELAGIA Pœnit.

8. Octob.

*Fidelis sermo : nam si commortui  
 sumus, & convivemus.* Paul. 2.  
 ad Tim. C. 2.

**V**ixit Pelagia Alexandria sub Theodosii  
 minoris tempora, ob formæ venustatem  
 corporisque cultum non jam Veneris serva,  
 sed ipsa Venus habita, pudor urbis & castitatis  
 ipsissima perniciēs. Quis credat? quæ oculis  
 captivam, post se urbem trahebat, in hanc  
 obtutum defixisse D. Nonno Antistiti etiam  
 profuit. Quid enim? (exclamabat post visum  
 hoc elegantiae idolum ille) quo demum stu-  
 dio